Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31651
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

pure conscientie ut respicias de summitate celorum ad hanc horam ut suscipias animam nostram in pace, et inter sanctos et electos tuos collocari percipias, ut cognoscant omnes quia tu es deus solus benedictus in secula. Et cum complessent orationem, ponentes genua susceperunt gladium, et acceperunt coronas sempiternas. Et ecce sanguis eorum tanquam lac omnibus videntibus apparuit. Quo tempore beatus Zoilus venerabilis presbiter colligens beatissimorum corpora martyrum condivit aromatibus preciosis et in loculo secreto collocavit, qui et ipse sanctus Zoilus post aliquantum temporis perexit ad dominum.

II. Nonas Iunii. **Passio sancti Quirini episcopi. XLIII.**

Cum mundi princeps diabolus ad cribrandas sanctorum animas accepisset potestatem, et ubique domini ecclesias diversis persecucionum tempestatibus ventilaret, per orientem Maximiani imperiis legibus christianorum infestabatur exercitus. Per Illiricum vero Diocleciani sacrilegi precepta in christi populo hostiliter seviebantur. Edicto tyrannidis sue alio Maximiano in regno principe qui suam rabiem et Diocleciani imperiis per omnem Illiricum ostenderet feritatem. Inter multos etenim qui christi hostibus triumphabant beatus Quirinus episcopus a Maximo iudice iussus est comprehendi. Quem cum studiose quererent et beatus sensisset episcopus, egressus est civitatem et fugiens comprehensus est et deductus ad Maximum iudicem. Interrogatusque est quo fugeret. Beatus Quirinus respondit: Non fugiebam, sed iussis dei mei satisfaciebam. Maximus dixit: Quibus iussis? Sanctus Quirinus dixit: Si vos persecuntur in una civitate, fugite in aliam. Maximus dixit: Quis hoc dixit? Quirinus episcopus respondit: Christus dominus qui verus est deus.

Maximus dixit: Et nescis quia ubique decreta te imperatorum poterant invenire? Et hunc quem dicis christum verum tibi subvenire non posse, sicut modo fugiens revocatus es. Sanctus Quirinus respondit: Semper nobiscum est et ubi fuerimus deus quem colimus subvenire potest. Et modo cum apprehensus essem mecum est confortans me, et ipse tibi de meo ore respondet. Maximus dixit: Multa loqueris et loquendo magnorum regum instituta differs. Lege ergo divinos apices et fac quod iussum est. Beatus Quirinus respondit: Ego imperatorum tuorum preceptis non obaudio, quia sacrilega sunt et contra precepta dei iubent. Christi servus sum. Diis vestris non sacrifico. Ipse est in celo et in terra, ipse est in mari et extra omnem locum. Omnibus autem exterior creaturis intra se continet omnia, quia per ipsum cuncta facta sunt et in ipso constant. Maximus dixit: Per nimium tempus ociosando quasdam fabulas didicisti. Pone thura et disce deos quos nescis. Non parvum consecuturus munus intelligentie, si preceptis obediens esse volueris. Quod si tu ipse tibi non suaseris ut devotus appareas, cognosces te subiciendum iniuriis, etiam morte horribili vitam tuam esse finiendam. Sanctus Quirinus respondit episcopus: Iniurie quas minaris gloria est, et promissa mortis si merear vita eterna. Propterea deo meo devotus esse cupio, non legibus tuis. Neque enim deos esse credo qui non sunt, et aris thura non impono, quia scio aram esse dei mei in qua apta sacrificia boni odoris impono. Maximus dixit: Ideo quia insania te cogit ad mortem, sacrifica diis. Sanctus Quirinus episcopus ait: Non sacrifico demoniis, quia scriptum est: Omnes dii gentium demonia, et qui sacrificat diis eradicabitur. Maximus dixit: Subdatur verberibus ut reversus obtemperet imperatoribus. Cumque verberaretur, Maximus dixit: